



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quòd nunquàm ad odium, nec etiam ad indignationem auditores sunt
excitandi. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

deteriores homines effecerint : maximè ad hunc zelum excitandi sacerdotes Dei ministri, vt animas sibi creditas diligentius, quàm zelotypus vxorem suam, custodiant, obseruent, instituunt, corrigant, diligant, sæpè de moribus singulorum interrogent, non parcant sceleratis & flagitiosis, nonnunquam improuisò adeant oppida, ecclesias, vicos, vt explorent, si ad lenitatem, virtutem episcopo & parochò dignam, quisspiã est natus, seueritatem, eius muneri interdum valdè necessariam, induat; audiat & imitetur magistrum magistrorum Dominum, qui eiecit numularios de templo. quo loco illa verba per increpationè proferat: Zelus domûs tuæ comédit me: & acriter accusabit deambulantes in Ecclesia sancta Dei, non audientes verbum Dei, iridentes sanctos homines, qui frequentia sanctissimorum sacramentorum delectantur: & cum de gloria Dei agitur, opes, honores, & vitam ipsam esse negligendam dicet. Præcepta ad excitandos auditores ad amorem, tractabimus, multo plura dicturi, cū de varietate auditorum tractabimus.

Quòd nunquàm ad odium, nec etiam ad indignationem auditores sunt excitandi.

Cap. XI.

QVAE à philosophis, & ab ijs, qui artem Rhetoricam tradiderunt, ad excitandum odium & indignationem scripta sunt, ea, vtpotè Christianis, & maximè clericis, inutilia & perniciofa, omittimus. Excitare odium in imaginem Dei filium eiusdem patris Dei, cuius omnes sumus filij, & ad eandem hereditatem vocati, non

solū à Christiano sed etiā ab homine alienissimū est. peccata esse odio habenda, & maximè vitanda, iam ostendimus; non inde tamen sequitur, peccatorem, quem iustum efficere potest Dominus, qui suā pœnitentia potest alios ad pœnitentiā excitare, odio esse habendā: eius potius causa dolendum, & pro eo, veluti pro fratre, orandum: & cogitandum sæpè, ac vehementer timendum, nè & nos cadamus. Indignatio autem, est dolor ex bono alterius, quem illo indignum iudicamus, quæ perturbatio, vt philosophi scribunt, in illos in primis cadit, qui se dignos maximis honoribus esse intelligunt: dolent igitur, aut quia nō consequuntur, quæ indigni sunt consecuti; aut quia pares illos sibi vident factos, quos inferiores existimant. quamobrem huiusmodi perturbatio fortasè non est laudanda, neq; excitanda, cū suspicienda sint Dei iudicia, & Christiani hominis sit, omnes sibi anteferre, alios se meliores putare: & fieri etiam possit, vt qui mali & indigni honoribus fuerint, mores corrigant, & illis se honoribus dignos prabeant. Nec vituperanda est omninò publicè hæc affectio: potest enim interdum à virtute proficisci, quia tamen meliorem animam non efficit, & humano generi non prodest, non expedit, vt in cœtu hominum excitetur.

Quomodò commouendi sint animi ad iram, hoc est, ad zelum honoris Dei, & ad mansuetudinem. Cap. XII.

IR A est dolor mali presentis, aut non sine dolore: ad hanc commotionem vtile erit interdum oratori Ecclesiastico populum concitare. nunquam tamen concitabit,